

DOMINICA IV.
In Quadragesima.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Non sit vobis vanum manē surgere ante lucem: Quia promissit Dominus coronam vigilātibus.

Psalm. Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

EX more docti mystico
Servemus hoc jejūnium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.
Lex & propheta primitus
Hoc praelerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
Rex atque factor temporum.

Utamur ergo parcis
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, jocis, & artibus
Perstemus in custodia.

Vitemus autem noxia,
Quae subruunt mentes vagas;
Nullamque demus callidi.
Hostis locum tyrannidi.

Flectamus iram vindicem,
Ploramus ante iudicem,
Clamemus ore supplicii,
Dicamus omnes cernui:

Nostris malis offendimus
Tuam Deus clementiam:
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.

Memento quod sumus tui,
Licet caduci plasmatis,
Ne des honorem Nominis
Tui, precamur, alteri.

Laxa malum quod fecimus,
Auge bonum quod poscimus:
Placere quo tandem tibi
Possimus hic, & perpetim.

Præsta beata Trinitas,
Concede simplex Unitas;
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.
Servite Domino, Psalm. Beatus vir,
cum reliquis de Psalterio. 2.

De libro Exodi.

Lectio I.

Cap. 3.

MOyses autem pascēbat oves
Jethro sóceri sui sacerdotis
Madian: cumque minasset gregem
ad interiōra deserti, venit ad mon-
tem Dei Horeb. Apparuitque ei Dō-
minus in flamma ignis de medio
rubi: & vidēbat quod rubus ardē-
ret, & non combureretur. Dixit ergo
Móyses: Vadam, & vidēbo visionem
hanc magnam, quare non comburā-
tur rubus. Cernens autem Dōminus
quod pēgeret ad vidēdum, vocāvit
eum de medio rubi, & ait: Móyses,
Móyses. Qui respōdit: Adsum. At
ille: Ne appropies, inquit, huic solve
calceamentum de pedibus tuis: locus
enim in quo stas, terra sancta est. Et
ait: Ego sum Deus patrii tui, Deus
Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.
Abscōdit Móyses faciem suam: non
enim audēbat aspiciere contra Deum.
¶ Locūtus est Dōminus ad Mōy-
sen, dicens: Descēde in Ægyptum,
& dic Pharaōni, Ut dimittat pōpu-
lum meum: induratum est cor Pharaō-
nis: non vult dimittere pōpulum
meum, nisi in manu forti. **¶** Clam-
or filiorum Israël venit ad me, vi-
dique afflictionem eorum: sed veni,
mittam te ad Pharaōnem. Ut.

Lectio II.

Cui ait Dōminus: Vidi afflictio-
nem pōpuli mei in Ægypto, &
clamorem ejus audivi propter duri-
tiam eorum qui præsunt operibus:
& sciens dolorem ejus, descēdi ut
liberem eum de manibus Ægyptio-
rum, & educam de terra illa in ter-
ram bonam & spatiosam, in terram
quæ fluit lacte & melle, ad loca Cha-
nanai, & Hethai, & Amorrhæi, &
Pherezæi, & Hevæi, & Jebusei.
Clamor ergo filiorum Israël venit
ad me: vidique afflictionem eorum,
qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed
veni, & mittam te ad Pharaōnem, ut edū-

educas pōpulum meum, filios Israël
de Ægypto.

¶ Stetit Móyses coram Pharaō-
ne, & dixit: Hæc dicit Dōminus:
Dimitte pōpulum meum, ut sa-
crificet mihi in deserto. **¶** Dōmi-
nus Deus Hebræorum misit me ad te,
dicens. Dimitte pōpulum meum.

Lectio III.

Dixitque Móyses ad Deum: Quis
sum ego ut vadam ad Pharaō-
nem, & educam filios Israël de Ægypto?
Qui dixit ei: Ego ero tecum: &
hoc habebis signum, quod miserim
te: Cū eduxeris pōpulum meum
de Ægypto, immolabis Deo super
montem istum. Ait Móyses ad Deum:
Ecce ego vadam ad filios Israël, &
dicam eis: Deus patrum vestro-
rum misit me ad vos. Si dixerint
mihi: Quod est nomen ejus? quid
dicam eis? Dixit Deus ad Mōy-
sen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices
filii Israël: Qui est, misit me ad vos.
Dixitque iterum Deus ad Mōy-
sen: Hæc dices filiis Israël: Dōminus
Deus patrum vestrorum, Deus Abra-
ham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit
me ad vos: hoc nomen mihi est in
æternum, & hoc memoriale meum in
generationem & generationem.

¶ Cantemus Dōmino, gloriōse enim
honorificatus est: equum & ascensō-
rem projecit in mare: **¶** Adjutor &
protector factus est mihi Dōminus
in salutem. **¶** Dōminus quasi vir
pugnator, omnipotens nomen ejus.
Adjutor, Gloria Patri. Adjutor.

In secundo Nocturno, Antiphona.
Bonorum meorum, Psalmus. Con-
serva, cum reliquis, &

Sermo Sancti Basilii Magni.

Honilia 1. de jejunio ante medium.

Lectio IV.

MOyses per jejūnium novi-
mus in montem ascendisse:
neque enim aliter ausus esset ver-
tice fumantem adire, atque in

calliginem ingredi, nisi jejūnio mu-
nitus. Per jejūnium mandata di-
gito Dei in tabulis conscripta sus-
cepit. Item supra montem, jejū-
nium legis lætæ conciliator fuit: in-
ferius verò, gula ad idololatriam pō-
pulum deduxit ac contaminavit. Se-
dit, & surrexerunt ludere. Qua-
draginta dierum laborem ac perse-
verantiam, Dei servo continuo jejū-
nante ac orante, una tantum pōpuli
ebrietas cassam irritamque reddidit.
Quas enim tabulas Dei digito cons-
criptas contrivit, Propheta sanctissimo
indignum existimante, vinolentum
pōpulum à Deo legem accipere.

¶ In mari via tua, & semita tuae
in aquis multas: **¶** Deduxisti sicut
oves pōpulum tuum in manu Mōysi
& Aaron. **¶** Transullisti illos per
Mare rubrum, & transvestisti eos
per aquam nimiam. Deduxisti.

Lectio V.

UNo tēporis momento ob gu-
lam pōpulus ille per maxima
prodigia Dei cultum eductus, in
Ægyptiacam idololatriam turpissi-
mè devolutus est. Ex quo si utrū-
que simul cōferas, videre licet,
jejūnium ad Deum dicere, delicias
verò salutem perdere. Quid Esau
inquinavit, servumque fratris reddi-
dit? nonne esca una, propter quam
primogēnita vendidit? Samuelem
verò nonne per jejūnium oratio
largita est matri? Quid fortissi-
mus Samsōnem in expugnabi-
lem reddidit? nonne jejūnium,
cum quo in matris ventre concep-
tus est? Jejūnium concepit, je-
jūnium nutrit, jejūnium virum
effecit. Quod sanè Angelus matri
præcepit, monens, quacūmque
ex vite procederent, ne attinge-
ret, non vinum, non siceram
biberet. Jejūnium Prophetas genuit

nuit, potentes confirmat atque roborat.

R. Qui persequebantur populum tuum Domine, demersisti eos in profundum: **Et** in colimna nubis ductor eorum fuisti. **V.** Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron. **Et** in.

Leçtio vi.

Iejunium Legislatōres sapiētes faciūt: animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum & arma, athlētis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantia opifex est: in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaraeum sanctificat, sacerdotem perficit: neque enim fas est sine jejunio sacrificium attingere, non solum in mystica nunc & vera Dei adoratione, sed nec in illa, in qua sacrificium secundum legem in figura offerebatur. Jejunium Eliam magnæ visionis spectatorem fecit: quadraginta namque dierum jejunio cum animam purgasset, in spelunca meruit, quantum fas est homini, Deum videre. Moyses iterum legem accipiens, iterum jejuniis securus est. Ninivite, nisi cum illis & bruta jejunassent, ruinam minas nequaquam evasisset. In deserto autem quorundam membra ceciderunt? nonne illorum, qui carnes appetivere?

R. Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: **U**t legem Domini mereretur accipere. **V.** Ascendens Moyses in Montem Sinai ad Dominum, fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ut legem. Gloria Patri. Ut legem.

In tertio Nocturno, Antiphona. Non sunt loquelæ. **Psalmus.** Cæli enarrant, **cum reliquis.** 11.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Leçtio vii.

In illo tempore: Abiit Jesus trans mare Gallilee, quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur. **Et** reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. **Tractatu 24. in Joannem.**

Miracula, quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, sunt quidem divina opera, & ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia quæ videri oculis possit; & miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere opera Dei mira & stupenda in quolibet seminis grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ; ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant.

R. Splendida facta est facies Moysi, dum respiceret in eum Dominus: **V**identes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuerunt valde. **V.** Cumque descendisset de monte Sinai, portabat duas tabulas testamenti, ignorans quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Domini. **V**identes seniores.

Leçtio viii.

Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus. **Et** tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit universum mundum, nisi ille qui

Cap. 6.

de paucis granis segetes creat? **F**ecit ergo quo modo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes: potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper: **V** Observa & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam: & præcedet te Angelus meus. **V.** Israël si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum: ego enim Dominus. **Observa.**

Leçtio ix.

Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, & exhibitum oculis, ubi exercebatur intellectus; ut invisibilem Deum per visibilia opera mirarēmur, & erecti ad fidem, & purgati per fidem etiam ipsum invisibilem videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus. **Nec** tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi. **Interrogemus** ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo; habent enim, si intelligantur, linguam suam. **Nam** quia ipse Christus Verbum Dei est: etiam factum Verbi verbum nobis est.

R. Attendite popule meus legem meam: **V** Inclinate aurem vestram in verba oris mei. **V.** Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio sæculi. **Inclinate.** Gloria Patri. **Inclinate.**

AD LAUDES,

Antiphona.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, si averteris faciem tuam a peccatis meis. **Psalmus.** Miserere, cum reliquis de Laudibus Dominicæ Septuagesimæ, 308. **Antiphona.** Bonum

est sperare in Domino, quam sperare in principibus. **Psalmus.** Confitemini Domino, 309. **Antiphona.** Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. **Psalmus.** Deus Deus meus, 310. **Antiphona.** Potens es Domine eripere nos de manu forti: libera nos Deus noster. **Canticum.** Benedicite, 310. **Antiphona.** Reges terræ, & omnes populi laudate Dominum. **Psalmus.** Laudate Dominum de caelis, 311.

Capitulum.

Ratres, Scriptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per reprobationem: quæ sunt per allegoriam dicta.

Hymnus.

O Sol salutaris, intimis Jesu refugio mentibus, Dum nocte pulsa gratior Orbi dies renascitur, Dans tempus acceptabile, Da, lacrymarum rivulus Lavare cordis victimam, Quam læta adurat charitas. Quo fonte manavit nefas, Fluent perennes lacrymæ, Si virga poenitentiae Cordis rigorem conterat. Dies venit, dies tua, In qua reflorent omnia: Lætetur & nos in viam Tuâ reducti dexterâ. Te prona mundi machina Clémens adoret Trinitas; Et nos novi per gratiam Novum canamus canticum. Amen.

V. Angelis suis Deus mandavit de te, **R.** Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Benedictus, Antiphona. Cum sublevisset oculos Jesus, & vidisset maxime multitudinem

venientem ad se, dixit ad Philip̄ pum: Unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

Oratio.

Concede, quæsumus omnipotens Deus; ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dñm̄num.

Ad Primam, Antiphona. Accipit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.

Ad Tertiam, Antiphona. De quinque panibus & duobus piscibus satiavit Dñm̄nus quinque milia hominum.

Capitulum. Fratres, Scriptum est, ut supra. 383.

R. br. Ipse liberavit me. De laqueo venantium. Ipse. **V.** Et à verbo aspero. De laqueo. Glória Patri. Ipse liberavit. **V.** Scâpulis suis umbrabit tibi. **R.** Et sub pennis ejus sperabis.

Ad Sextam, Antiphona. Satiavit Dñm̄nus quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus.

Capitulum. Galat. 4. d

Lætare stérilis, quæ non paristi: erumpe, & clama, quæ non parturisti: quia multi filii desértæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.

R. br. Scâpulis suis. **V.** Et sub pennis ejus sperabis. Umbrabit tibi. Glória Patri. Scâpulis. **V.** Scuto circumdabit te veritas ejus. **R.** Non timébis à timóre nocturno.

Ad Nonam, Antiphona. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Jesus signum, intra se dicebant: quia hic est verè Prophéta, qui venturus est in mundum.

Capitulum. Galat. 4. d

Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua liberatæ Christus nos liberavit.

R. br. Scuto circumdabit te. **V.** Veritas ejus. Scuto. **V.** Non timébis à timóre nocturno. **V.** Veritas. Glória Patri. Scuto. **V.** Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiãnt te in omnibus viis tuis.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus. Dixit Dñm̄nus, cum reliquis. 100. **Capitulum.** Fratres, Scriptum est. **Hymnus.** Audi, benigne Cōditor. 379. **V.** Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiãnt te in omnibus viis tuis.

Ad Magnificat, Antiphona. Subiit ergo in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. **Oratio.** Concede, quæsumus, ut supra.

Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum. clvj.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum, Invitorium, de Psalterio. 308. Hymnus. Ex more. 308. **Antiphona & Psalmi Nocturnorum, de Psalterio. 39.**

Et sic dicitur etiam in aliis sequentibus Feriis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio ij. Cap. 2. c

In illo tempore: Propè erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosólimam: & invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractatu 10. in Joan. post initium.

Quid audivimus fratres? Ecce templum illud figúra adhuc erat, & ejecit inde Dñm̄nus omnes qui sua querebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim charitas vestra, quod sacrificia illi pòpulo pro ejus carnalitatè & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur, ne in idòla deflueret: &

& immolabant ibi sacrificia, boves, & oves, & columbas. Nostis, quia legistis.

V. Vos qui transituri estis Jordãnem, edificatè altàre Dñm̄no. De lapidibus quos ferrum non tégit: & offerre super illud holocausta, & hostias pacificas Deo vestro. **V.** Neque intraveritis terram, quam Dñm̄nus daturus est vobis, quificatè ibi altàre Dñm̄no. De lapidibus.

Lectio ij.

Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebat in templo, quod emebatur, ut offerretur in templo: & tamen ejecit inde illos. Quid si ibi ebrios inveniret, quid faceret Dñm̄nus, si vendentes ea quæ licita sunt, & contra justitiam non sunt (quæ enim honestè emuntur, non illicitè venduntur) expulit tamen, & non est passus domum orationis fieri domum negotiatiõnis?

R. Audi Israël præcepta Dñm̄ni, & ea in corde tuo quasi in libro scribe: **V.** Et dabo tibi terram fluentem lac & mel. **V.** Observa igitur, & audi vocem meam: & inimicus ero inimicis tuis. Et dabo.

Lectio iij.

S negotiatiõnis domus non debet fieri domus Dei, potatiõnis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, strident dentibus suis adversus nos: & consolatur nos Psalmus, quem audistis: Striderunt in me dentibus suis. Novimus & nos audire unde curémur: etsi ingeminantur flagella Christo, quia flagellatur sermo ipsius. Congregata sunt, inquit, in me flagella, & nesciebant. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemis falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino Deo suo, & nesciunt. Faciamus nos, quantum ipse adjuvat. Ego autem, cum mihi molesti essent,

Pars Hymnalis.

indebam me cilicio, & humiliabam in jejuniò animam meam.

R. Sicut tui cum Mòyse, ita èro tecum, dicit Dñm̄nus: **V.** Confortare, & esto robustus: introduceces pòpulum meum ad terram lacte & melle manantem. **V.** Noli timere, quoniam tecum sum: ad quæcumque perrexeris, non dimittam te, neque derelinquam. Confortare. Glória Patri. Confortare.

Ad Laudes, Antiphona & Psalmus. Miserere mei Deus, cum reliquis de Psalterio. 47. **Isaia 58.**

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia pòpulo meo scelera eòrum, & domui Jacob peccata eòrum.

Hymnus. O sol salutaris. 383. **V.** Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiãnt te in omnibus viis tuis.

Ad Benedictus, Antiphona. Aufer iste hunc, dicit Dñm̄nus: & nolite facere domum patris mei, domum negotiatiõnis.

Deinde dicuntur Preces, ut supra. 49.

Oratio.

Pæsta, quæsumus omnipotens Deus; ut observatiões sacras annuâ devotiõne recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dñm̄num nostrum.

Postea dicitur Officium Defunctorum. clix.

Ad Vesperas, Antiphona. Inclinauit. Psalmus. Dilèxi, cum reliquis de Psalterio. 103.

Capitulum. Joèlis 2. d

Inter vestibulum & altàre plorabunt sacerdotes ministri Dñm̄ni, & dicent: Parce Dñm̄ne, parce pòpulo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.

Hymnus. Audi, benigne Cōditor. Bb. 107.

tor. 379. *V.* Angelis suis Deus mandavit de te. *R.* Ut custodiatis in omnibus vultis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Solvite templum hoc, dicit Dominus: & post triduum reedificabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Deinde dicuntur Preces, ut in Paaterio. 105.

Oratio.

Deprecationem nostram, quæsumus Domine, benignus exaudi: & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

F E R I A T E R T I A.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j.

Cap. 7. b

In illo tempore: Jam die festo mediante, ascendit Jesus in templum, & docebat. Et mirabantur Judæi. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Tractatu 29. in Joannem sub initium.*

Ille qui latebat, docebat, & palam loquebatur, & non tenebatur. Illud enim ut lateat, erat causa exempli, hoc potestatis. Sed cum doceret, mirabantur Judæi. Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur, sed non omnes convertabantur. Et undè admiratio? Quia multi noverant ubi natus, quemadmodum fuerit educatus. Numquam eum viderant literas discerentem: audiebant autem de lege disputantem, legis testimonia profertentem, que nemo posset preferre, nisi legisset nemo legeret, nisi literas didicisset: & idè mirabantur. Eorum autem admiratio, magistro facta est insinuandæ altius veritatis occasio.

R. Quid me queritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis? *S.* Male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem

benè, cur me cædis? *V.* Multa bona opera operatus sum vobis: propter quod opus vultis me occidere? Si male locutus.

Lectio ij.

Ex eorum quippè admiratione & verbis, dixit Dominus profundum aliquid, & diligentiè inspicere & discuti dignum. Quid ergo Dominus respondit eis, admirantibus quomodo sciret literas, quas non didicerat? Mea, inquit, doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Hæc est profunditas prima: videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait: Ista doctrina non est mea: sed, Mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque: & mea doctrina, & non mea.

R. Adduxi vos per desertum quadraginta annis ego Dominus, & non sunt attrita vestimenta vestra:

S. Manna de celo plui vobis, & oblitus estis me, dicit Dominus. *V.* Ego eduxi vos de terra Ægypti, & de domo servitutis liberavi vos. Manna.

Lectio iij.

Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evangelista: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: inde pendet hujus solutio questionis. Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alieujus: & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu, & quia tam non tuum, quam tu, si alieujus est, quod est?

R. Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: *S.* Ut legem Domini mereretur accipere. *V.* Ascendens Moyses

ses

ses in montem Sinai ad Dominum, fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ut legem. Gloria Patri. Ut legem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quid me queritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis?

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Sacræ nobis, quæsumus Domine, observationis jejunia: & pie conversationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Nemo in eum misit manum: quia nondum venerat hora ejus.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Miserere Domine populo tuo: & continuis tribulationibus laborantem, propitius respirare concede. Per Dominum.

F E R I A Q U A R T A.

Hodie dicuntur Psalmi Graduales. clxix.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j.

Cap. 9.

In illo tempore: Præteriens Jesus, vidit hominem cæcum à nativitate: & interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *Tract. 44. in Joannem, circa initium.*

EA, quæ fecit Dominus noster

Jesus Christus, stupenda atque miranda, & opera, & verba sunt: opera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc, quod factum est, cogitemus: genus humanum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim

cæcitas est infidelitas, & illuminatio fides: quem fidelem, quando venit Christus, invenit? Quandoquidem Apostolus natus in gente Prophetarum dicit: Pimus & nos aliquando naturæ filii iræ, sicut & cæteri. Si filii iræ, filii vindictæ, filii penæ, filii gehennæ: quomodo naturæ, nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit? Si vitium pro natura inolevit, secundam mentem omnis homo cæcus natus est.

R. Splendida facta est facies Moysi, dum respiceret in eum Dominus:

S. Videntes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuerunt valde. *V.* Cumque descendisset de monte Sinai, portabat duas tabulas testimonii, ignorans quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Domini. Videntes.

Lectio ij.

Venit Dominus: quid fecit? Magnum mysterium commendavit. Exiit in terram, de saliva sua lutum fecit quia Verbum caro factum est: & inunxit oculos cæci. Inunctum erat, & nondum videbat. Misit illum ad piscinam, quæ vocatur Siloë. Pertinuit autem ad Evangelistam commendare nobis nomen hujus piscine, & ait: Quod interpretatur, Missus. Jam quis sit missus agnoscitis. Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quæ interpretatur, Missus: baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit: quando innoxit, foras cathedrum fecit.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper: *S.* Observa & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam: & præcedet te Angelus meus. *V.* Israel

Bb 2

si

si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum: ego enim Dominus. Observa & audi.

Lectio iij.

Audistis grande mysterium. Interroga hominem, Christianus es? Respondet tibi: Non sum. Si Paganus est, aut Judæus? Si autem dixerit, Non sum: adhuc quæris ab eo, cathecumenus, an fidelis? Si responderit tibi, cathecumenus, inunctus est, nondum lotus. Sed undè inunctus? Quære, & respondeat. Quære ab illo, in quem credit? Eo ipso quod cathecumenus est, dicit, in Christum. Ecce modò loquor & fidelibus & cathecumenis. Quid dixi de sputo & luto? Quia Verbum caro factum est; hoc Cathecumeni audiunt; sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt: festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.

Attendite pópule meus legem meam: Inclinate aurem vestram in verba oris mei. Apertiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio sæculi. Inclinate. Glória Patri. Inclinate.

Ad Benedictus, Antiphona.

Rabbi, quid peccavit homo iste, quod cæcus natus est? Respondit Jesus, & dixit: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Deus, qui & justis præmia meritòrum, & peccatoribus per jejuniùm veniam præbes: miserere supplicibus tuis; ut reatus nostri confessione indulgentiam valeat percipere delictòrum. Per Dòminum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, & linitit oculos meos, & modò video.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Pateant aures misericordiæ tuæ, Dòmine, precibus supplicantiùm: & ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per Dòminum.

FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio j.

In illo tempore: Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naïm: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrósii Episcopi.

Eib. 5. Comment. in Luc. cap. 7. post initium.

Et hic locus ad utramque dividat gratiam, & ut citò fletu divinam misericordiã matris viduæ lamentatione credamus, ejus præcipue quæ unici filii vel labòre, vel morte frangatur; cui tamen viduæ gravitatis meritum exequiarum turba conciliet: & ut hanc viduam populòrum turba septam, plus vidèri esse quam feminam, quæ resurrectionem unici & adolescentis filii suis lacrymis meruerit impetrare; eò quod sancta Ecclesia pópulum juniorem à pompa funeris, atque à suprèmi sepulchri, suarum revocet ad vitam contemplatione lacrymarum: quæ flere prohibetur eum, cui resurrectio debebatur.

Locutus est Dòminus ad Moysen, dicens: Descende in Ægyptum, & dic Pharaóni: Ut dimittat pópulum meum: induratum est cor Pharaónis: non vult dimittere pópulum meum, nisi in manu forti. Clamor filiorum Israël venit ad me, vidique afflictionem eorum: sed veni, mitam te ad Pharaóem. Ut dimittat.

Lectio ij.

Qui quidem mortuus in locò materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis; sed spem

resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quot etsi nobis antè non pròderat, tamen posteaquam Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam; ut esset indicio, salutem pópulo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbis illi funeris portitores, qui corpus humanum lethali fluxu naturæ materialis urgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam ferebro, hoc est, suprèmi funeris instrumento, jacemus exanimis, cum vel ignis immòdica cupiditatis exastuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam terrèni còrporis habitudine vigor hebetatur animòrum, vel concretà noster spiritus labe, puræ lucis vácuum mentem alit? Hi sunt nostri funeris portitores.

Stetit Moyses coram Pharaóne, & dixit: Hæc dicit Dòminus:

Dimitte pópulum meum, ut sacrificet mihi in deserto. Dòminus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens. Dimitte.

Lectio iij.

Sed quamvis suprèma mortis spem vitæ omnis abolerint, & tumulo próxima còrpora jaceant defunctorum; verbo tamen Dei jam mortua resurgunt cadàvera, vox reddit, redditor filius matri, revocatur à tumulo, eripitur à sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Sepulchrum enim patens est guttur eorum, undè verba mortua proferruntur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo surges, si audias verbum Dei. Et si grave peccatum est, quod poenitentiæ lacrymis ipse lavare non possis, flet pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro unice filii vidua mater intervenit. Compattitur enim quodam spiritali dolòre naturæ, cum

suos liberos lethali bus vitis ad mortem cernit urgeri.

Cantemus Dòmino, gloriòse enim honorificus est: æquum & ascensorem profectus in mare: Adjutor & protector factus est mihi Dòminus in saltum. Dòminus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus. Adjutor. Glória Patri. Adjutor.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naïm: & ecce defunctus efferebatur filius unicus matri suæ.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Præsta, quantumvis omnipotens Deus: ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta letificet; ut terrenis affectibus mitigatis, facilis cœlestia capiamus. Per Dòminum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Populi tui Deus institutor & rector: peccata, quibus impugnat, expelle; ut semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per Dòminum nostrum.

FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio j.

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Martha soròris ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Traß. 49. in Joannem, post initium.

In superiòri lectione meministis, quod Dòminus exiit de manibus eorum, qui lapidare illum voluerant, & discessit trans Jordånem ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Dòmino constituto, infirmabatur in Bethania

nia Lázarus, quod castellum erat proximum Jerosólymis. Maria autem erat que unxit Dóminum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cujus frater Lázarus infirmabatur. Misérunt ergo soróres eius ad eum. Jam intelligimus quò miserunt, ubi erat Jesus: quóniam absens erat, trans Jordánem seilicet. Misérunt ad Dóminum, nunciántes quòd egrotáret frater eárum; ut si dignáretur veniret, & eum ab agritudine liberáret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitáre.

R. In mari viæ tuæ, & semíta tuæ in aquis multis: **D.** Deduxisti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi & Aaron. **V.** Transulisti illos per mare rubrum, & transvestisti eos per aquam nimiam. Deduxisti.

Lectio ij.

Quid ergo nunciavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas infirmáture. Non dixérunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciándum fuit. Non ausè sunt dicere, Veni, & sana: non ausè sunt dicere, Ibi jube, & hic fiet. Cur enim non & ista, si fides illius Centuriónis indè laudáture? Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum ista, sed tantummodo: Dómine, ecce quem amas infirmáture. Sufficit ut nóveris, non enim amas & deseris.

R. Qui persequébantur pópulum tuum Dómine, demersisti eos in profundum: **V.** Et in columna nubis ductor eórum fuisti. **V.** Deduxisti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi & Aaron. Et.

Lectio iij.

Dicit aliquis: Quómódò per Lázarus peccatór significabáture, & à Dómino sic amabáture? Audiát eum dicentem: Non veni vocare ustos, sed peccatóres. Si enim pec-

catóres Deus non amáret, de celo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificetur Filius Dei. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo quod ait, Non est ad mortem: quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum: quo factò crederent homines in Christum, & vitarent veram mortem. Sanè videte quemadmodum tamquam ex obliquo Dóminus Deum se dixit: propter quosdam qui negant Filium Deum esse.

R. Móyses famulus Dei jejunávit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: **V.** Ut legem Dómini mereretur accipere. **V.** Ascendens Móyses in montem Sináit ad Dóminum, fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Ut legem. Glória Patri. Ut legem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Lázarus amicus noster dormit: eámus, & à somno excitámus eum.

Deinde dicuntur Preces, 49.

Oratio.

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis: præsta quæsumus; ut Ecclesiá tua & æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dóminum nostrum.

Hodiè dicuntur Psalmi Penitentiales. clxxvj.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dómine, si fuisses hic, Lázarus non esset mórtuus: ecce jam fœtet quadriduanus in monumento.

Deinde dicuntur Preces, 105.

Oratio.

DA nobis, quæsumus omnipotens Deus; ut qui infirmitatis nostræ cónsili, de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dóminum.

SAB-

S A B B A T O.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 8. d

In illo tempore: Locutus est Jesus turbis Judæorum, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractatu 34. in Joannem, post initium.

Quod ait Dóminus, Ego sum lux mundi: clarum puto esse eis qui habent oculos, undè hujus lucis participes fiant: qui autem non habent oculos nisi in sola carne, mirántur quod dictum est à Dómino Jesu Christo, Ego sum lux mundi. Et fortè non desit qui dicat apud semetipsum: Numquid fortè Dóminus Christus est sol iste, qui ortu & occasu peragit diem? Non enim defuerunt tantum hominibus, sed etiam peccatoribus ad videndum Christum Dóminum esse putavérunt.

R. Spléndida facta est facies Móysi, dum respiceret in eum Dóminus: **V.** Videntes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuérunt valde. **V.** Cumque descendisset de monte Sináit, portabat duas tabulas testimonii, ignorans quòd cornata esset facies ejus ex consortio sermonis Dómini. Videntes.

Lectio ij.

Sed cathólicæ Ecclesiæ recta fides improbat tale commentum, & diabólicam doctrinam esse cognoscit. Nec solum agnoscit credendo, sed in quibus potest convincit etiam disputando. Improbemus itaque hujusmodi errorem, quem sancta ab initio anathematizávit Ecclesiá. Non arbitremur Dóminum Je-

sum Christum hunc esse solem quem videmus oriri ab oriente, occidere in occidente: cujus cursui nox succedit, cujus radii nube obumbrántur, qui certá de loco in locum motiõne commigrat. Non est hoc Dóminus Christus. Non est Dóminus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

R. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiát semper: **V.** Obsérva & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam te. Israel si me audieris, non erit in te Deus reus, neque adorábis deum aliñum: ego enim Dóminus. Obsérva.

Lectio iij.

Est ergo lux, que fecit hanc lucem. Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiámus; ut ad ipsam duce ipsa aliquándò veniámus, & in illa ita vivámus, ut nunquam omninò moriámur. Ista enim lux est, de qua prophétia olim præmissa, ita in Psalmo cecinit: Quóniam apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen. Adverte quid de tali luce antiquus sanctorum hóminum Dei sermo præmisserit. Hómines, inquit, & jumenta salvos facies Dómine, sicut multiplicata est misericórdia tua Deus.

R. Attendite pópule meus legem meam: **V.** Inclinate aurem vestram in verba oris mei. **V.** Apériam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio seculi. Inclinate. Glória Patri. Inclinate.

Ad Benedictus, Antiphona.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vite, dicit Dóminus.

Deinde dicuntur Preces, 49.

Bb 4

Ora-

Oratio.

Fat, Dómine quæsumus, per grátiam tuam fructuosus nostræ devotiónis affectus: quia tunc nobis pröderunt suscepta jejunia, si tua sint plácita pietati. Per Dóminum.

S A B B A T O

ante Dominicam Passionis.

Ad Vesperas. Capit. Heb. 9. c.
Fratres, Christus assistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perfectius tabernáculum non manu factum, id est, non hujus creatiónis: neque per sanguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterná redemptione inventá.

Hymnus.

Vexilla Regis pródeunt:
Fulget Crucis mystérium,
Quá víta mortem pétulit,
Et morte vitam protulit.

Que vulnerata lanceæ
Mucrone diro, críminum
Ut nos lavare sórdibus,
Manávit undá & sanguine.

Impléta sunt, quæ concínit
David fidéli carmine,
Dicéndo natióibus:
Regnavit à ligno Deus.

Arbor decóra, & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Elécta digno stípíte

Tam sancta membra tangere.

Beata, ejus bráchiis

Pétrium pépendit seculi,

Statéra facta corpóris,

Tultque prædam tartari.

O Crux ave spes única,

Hoc passiónis témpore

Pis adauge grátiam,

Reisque dele crimina.

Te, fons salútis Trínitas,

Colláudet omnis spírítus:

Quibus Crucis victórium

Largiris, adde præmium. Amen.

v. Eripe me Dómine ab hómine

malo. **R.** A viro iniquo eripe me.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego sum qui testimónium perhibeo de meipso: & testimónium perhibet de me; qui misit me, Pater.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus, familiam tuam propitiis respice; ut te largiente, regátur in corpore, & te servante, custodiá-tur in mente. Per Dóminum.

Ab hoc Sabbato usque ad Feriam secundam post Octavam Pentecostes, non fiunt Commemorationes consuetæ de Cruce, de S. Maria, & aliæ in Psalterio positæ.

Ad Completorium in **R.** brevi non dicitur **Gloria Patri**, in Officio feriali usque ad Feriam **v. in Coena Domini**.

DOMINICA

de Passione.

Ad Matutinum. Invitatorium.
Hódie si vocem Dómini audieritis,
Nolite obdurare corda vestra.

Psalmus. Venite, exultémus. i.

Hoc Invitatorium dicitur usque ad Feriam **v. in Coena Domini** **patris** in feriali Officio. In **Psalmo. Venite, exultémus, omittitur. Hódie si vocem, & repetitur à Choro Invitatorium;** deinde sequitur. Sicut in exacerbatione, &c.

In fine hujus **Psalmi** non dicitur **Gloria Patri**, hoc tempore **Passionis**, nisi in **Festis**: sed repetitur **Invitatorium** ut alias, in fine. Quod etiam servatur in **R.** ad **Matutinum**, & in **RR.** brevibus **Horarum**, ubi similiter repetitur **Responsorium**.

Hymnus.

Pange lingua gloriósi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triúmphum nobílem,
Qualiter Kedémp'tor orbis
Immolatus vicérit.

De paréntis protoplasti
Fraude factor cóndolens,

Quan-

Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit;
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depopóscerat,
Multiformis proditóris
Ars ut artem falleret,
Et medélam ferre indé,
Hostis undé lésaret.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor,
Atque ventre virgináli
Carne amictus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis involúta
Virgo mater alligat;
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fasciá.

Sempitérna sit beáta
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par deus Paráclito:
Unius Trínique nomen
Laudet universitas. Amen.

Ad Nocturnum omnia ut in **Psalterio. v.** Erue à fræna, & alii **v. v.** ut ibidem tempore **Passionis**.

In primo Nocturno.

Incipit liber **Jeremiæ Prophætæ.**

Cap. i.

Verba **Jeremiæ filii Helciæ**, de sacerdotibus, qui fuerunt in **Anathoth**, in terra **Bénjamin**. Quod factum est verbum **Dómini** ad eum in diebus **Josæ filii Amon regis Juda**, in tertiódecimo anno regni ejus.

Et factum est in diebus **Jóakim filii Josæ regis Juda**, usque ad consummationem undécimi anni **Sedeciæ filii Josæ regis Juda**, usque ad transmigrationem **Jerusalem**, in mense quinto. Et factum est verbum **Dómini** ad me, dicens: Priusquam te formarem in útero, novi te: & ante-

quam exires de vulva, sanctificávi te, & prophétam in **Gentibus** dedi te. Et dixi, **A a a**, **Dómine Deus**: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

R. Isti sunt dies, quos observare debétis temporibus suis: **Quartadécima** die ad vésperum **Pascha Dómini**: & in **quintadécima** solemnítatem celebrábitis altíssimo **Dómino**. **v.** Locutus est **Dóminus** ad **Moyse**n, dicens: **Loquere filiis Israël**, & dices ad eos. **Quartadécima**.

Hoc **Responsorium** non dicitur infra **Hebdomadam**.

Lectio ij.

ET dixit **Dóminus** ad me: Noli dicere: Puer sum: quóniam ad omnia, quæ mittat te, tibi: & univérsa, quæcumque mandávero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eórum: quia tecum ego sum ut éruam te, dicit **Dóminus**. Et misit **Dóminus** manum suam, & tétigit os meum: & dixit **Dóminus** ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hódie super **Gentes**, & super regna, ut evellás, & destruas, & disperdas, & dissipés, & adificés, & plantés. Et factum est verbum **Dómini** ad me, dicens: Quid tu vides **Jeremía**? Et dixi: **Virgam** vigilántem ego video. Et dixit **Dóminus** ad me: Bene vidisti, quia vigilábo ego super verbo meo ut faciám illud. Et factum est verbum **Dómini** secúndo ad me, dicens: Quid tu vides? & dixi: **Ollam succénsam** ego video, & faciém ejus à facie **Aquilónis**.

R. Multiplicati sunt qui tribulant me, & dicunt: Non est salus illi in **Deo** ejus. **v.** Exurge **Dómine**, salvum me fac, **Deus** meus. **v.** Nequándo dicat inimicus meus, **Prævalui** adversus eum. **Exurge**.

Lectio iij.

ET dixit **Dóminus** ad me: Ab **Aquilóne** pandétur malum super omnes habitátóres terræ. **Quia**

ec-

ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponent unusquisque solum suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super universas urbes Juda. Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libaverunt diis alienis, & adoraverunt opus manuum suarum. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quae ego praecipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum aereum, super omnem terram, regibus Juda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terre. Et bellabunt adversum te, & non prevalerunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

R. Usquequod exaltabitur inimicus meus super me? **R.** Respice, & exaudi me Domine Deus meus. **V.** Qui tribulant me, exaltabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua sperabo. Respice. Usquequod.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Leonis Papae.

Serm. 9. de Quadrag.

Lectio iv. In omnibus dilectissimi, solemnitatibus Christianis, non ignoramus Paschale sacramentum esse praecipuum: cui condigne & congrue suscipiendo, totius quidem nos temporis instituta reformant: sed devotionem nostram praesentes vel maxime dies exigunt, quos illi sublimissimi divinae misericordiae sacramentum esse contiguit. In quibus merito a sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti majora sunt ordinata jejunia: ut per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gestit, ageremus, sicut Apostolus ait: Si

compatimur, & conglorificabimur. Certa atque secuta est expectatio promissae beatitudinis, ubi est participatio Dominae passionis.

R. Deus meus es tu, ne discedas a me: **R.** Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. **V.** Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam aspice. Quoniam.

Lectio v. Nemo est, dilectissimi, cui per conditionem temporis societas huius gloriae denegetur: tamquam tranquillitas pacis vacua sit occasio, ne virtutis. Apostolus enim praedicat, dicens: Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur: & ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quae salutare suum in his, qui aderant, universaliter audiebat.

R. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meae Deus meus es tu, ne discedas a me: **R.** Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. **V.** Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam. Quoniam.

Lectio vi.

Sicut ergo totus est corporis pie vivere, ita totus est temporis crucem ferre: quae merito ferri unicuique suadet, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur. Unum nomen est persecutionis, sed non una est causa certaminis; & plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto. Beatus Job alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus, pie veraciterque dicebat: Non

ne

ne tentatio est vita hominis super terram? Quoniam non solis doloribus corporis, atque suppliciis animae fidelis impetitur, verum etiam, salva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, si carnis voluptate molitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; prasidio crucis Christi mens rationalis instruitur: nec cupiditatis noxii illucta consentit, quoniam continentiae clavis, & Dei timore transfiguratur.

R. In proximo est tribulatio mea Domine, & non est qui adjuvet: ut fodiant manus meas & pedes meos: libera me de ore leonis. **R.** Ut enarrem nomen tuum fratribus meis. **V.** Erue a framaea Deus animam meam, & de manu canis unicum meam. Ut enarrem. In proximo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. *Cap. 8. f.*

In illo tempore: Dicebat Jesus turbis Judaeorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papae.

Homilia 18. in Evangelia.

Pensate, fratres charissimi, mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, & dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Sed terribile est valde quod subditur, Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est: interroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit, & intelligit unde

sit. Coelestem patriam desiderare Veritas jubet, carnis desideria conterere, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri.

R. Torā die contritatus ingrediebar Domine: quoniam anima mea completa est illusionibus: **R.** Et vim faciebant qui quaerebant animam meam. **V.** Amici mei & proximi mei adversum me appropriaverunt, & steterunt: et qui iuxta me erant, de longe steterunt. Et vim.

Lectio viij.

Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si haec vox Dei in cordis eius aure convuluit, & quia jam ex Deo sit, agnoscat. Nam sunt nonnulli qui praecipio Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli qui haec quidem corporis aures percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fleatibus compungantur, sed post lacrymarum tempus, ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui haec exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos revocate, & alta consideratione perimiscere hoc, quod ex ore Veritatis sonat: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

R. Ne avertas faciem tuam a puero tuo Domine: **R.** Quoniam tribulor, velociter exaudi me. **V.** Intende animae meae, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio ix.

Sed hoc quod de reprobis Veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis reprobi iniquis suis operibus ostendunt: nam sequitur, Respondentur igitur Judaei, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & daemonium habes? Acccepta autem tanta contumelia

lia

liã, quid Dóminus respondeat, audiãmus: Ego dæmónium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Quia enim Samaritanus interpretatur custos: & ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dóminus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam: & cui per Isaiam dicitur: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? respondere nóluit Dóminus: Samaritanus non sum sed, Ego dæmónium non habeo. Duo quippè ei illata fuerunt: unum negavit, aliud tacendo consénsit.

R. Quis dabit cápiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrynarum, & plorabo die ac nocte? quia frater propinquus supplantávit me. Et omnis amicus fraudulenter incéssit in me. **V.** Fiant viæ eórum tenebræ & líbri: & Angelus Dómini persequens eos. Et omnis. Quis.

A D L A U D E S,

Antiphona.

Vide Dómine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus. **Psalmus.** Miserere, cum reliq. de Laudibus Dominice Septuagesime, 308. **Añs.** In tribulatione invocavi Dóminum, & exaudivit me in latitudine. **Psalmus.** Confitemini Dómino. 309. **Añs.** Judicasti Dómine causam anime mee: defensor vitæ meæ, Dómine Deus meus. **Psalmus.** Deus Deus meus. 310. **Añs.** Pópule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi. **Canticum.** Benedicite. 310. **Añs.** Numquid rédditur pro bono malum, quia foderunt foveam anime mee? **Psalmus.** Laudate Dóminum de cælis. 311.

Capitulum.

R. Matres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hu-

jus creationis: neque per sanguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternã redemptione inventã.

Hymnus.

Lustra sex qui jam perégit, Tempus implens corpóris, Sponte libera Redemptor Passiõni déditus, Agnus in Crucis levatur Immolandus stipite. Felle potus ecce languet, Spina, clavi, lancea Mite corpus perforarunt: Unda manat, & cruor: Terra, pontus, astra, mundus, Quo lavantur flumine. Crux fidèlis, inter omnes Arbor una nobilis: Sylva talem nulla profert Fronde, flore, germine: Dulce ferrum, dulce lignum, Dulce pondus sustinent. Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lenescat ille, Quem dedit nativitas; Et supèrni membra Regis Tende miti stipite. Sola digna tu fuisti, Ferrè mundi Victricem; Atque portum præparare Arca mundo naufrago, Quam sacer cruor perúnxit, Fusus Agni corpore. Sempiterna sit beatæ Trinitati gloria, Æqua Patri, Filioque, Par decus Paráclito: Unius Trinique nomen Laudet universitas. Amen.

V. Eripe me de inimicis meis Deus meus. **R.** Et ab insurgentibus in me libera me.

Ad Benedicimus, Antiphona. Dicebat Jesus turbis Judæorum, & principibus sacerdotum: Qui ex Deo

est,

est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Oratio.

Quesumus omnipotens Deus, familiam tuam propitiis respice; ut te largiente, regatur in corpore, & te servante, custodiatur in mente. Per Dóminum.

Ad Primam, Antiphona.

Ego dæmónium non habeo, sed honorifico Patrem meum, dicit Dóminus. **Capitulum.** Regi sæculórum. 22. **R. br.** Christe Fili Dei vivi, Miserere nobis. Christe. **V.** Qui sedes ad dexteram Patris. Miserere nobis. **Repetitur.** Christe Fili Dei vivi, miserere nobis. **V.** Exurge Christe, & relinqua ut in Psalterio. 22.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis. Faciem meam, ut in Psalterio. 23. Et dicitur in Dominicis & Feriis usque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusive.

Ad Tertiam, Antiphona.

Ego glóriam meam non quero: est qui quarat, & iudicet. **Capitulum.** Fratres, Christus assistens Pontifex. 306. **R. br.** Erue à fræmea Deus animam meam. Erue. **V.** Et de manu canis unicam meam. Deus. Erue. **V.** Et ore leónis libera me Dómine. **R.** Et à cornibus unicórnium humilitatem meam.

Ad Sextam, Antiphona.

Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in ætèrnum.

Capitulum.

Stenim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vitulæ aspèrsus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spíritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? **R. br.** De ore leónis. Libera me

Dómine. De ore. **V.** Et à cornibus unicórnium humilitatem meam. Libera. De ore. **V.** Ne perdas cum impiis Deus animam meam. **R.** Et cum viris sanguinum vitam meam. **Ad Nonam, Antiphona.**

Tulerunt lapides Judæi ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exiit de templo.

Capitulum.

Hebr. 9. d

Et idèd novi Testamenti mediãtor est: ut morte intercedente, in redemptionem eárum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repositionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis, in Christo Jesu Domino nostro.

R. br. Ne perdas cum impiis Deus animam meam. Ne perdas. **V.** Et cum viris sanguinum vitam meam. Deus animam meam. Ne perdas. **V.** Eripe me Dómine ab homine malo. **R.** A viro iniquo eripe me.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus.

Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 100. **Capitulum.** Fratres, Christus assistens. **Hymnus.** Vexilla Regis prædeunt, ut supra 392. **V.** Eripe me Dómine ab homine malo. **R.** A viro iniquo eripe me.

Ad Magnificat, Antiphona.

Abraham pater vester exultávit ut vidèret diem meum: vidit, & gavisus est. **Oratio.** Quæsumus omnipotens Deus, ut supra.

Hymni, V. V. & R. br. brevía supradicta dicuntur etiam in Dominica Palmarum, & in feriali Officio usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ.

Post Vesperas, diei dicuntur Vesperæ Defunctorum. clvi.

FERIA SECUNDA.

Invitatorium. Hodie si vocem Dómini audieritis. Nolite obdurare corda vestra. **Psalmus.** Venite, exultemus. 1. **Hymnus.** Pange lingua, ut supra. 392.

An-

Antiphona, & Psalmi huius Fe-
rix. *Y.* Erue a fræmea, ut ibidem
tempore Passionis.
Lectio sancti Evangelii secundum
Joannem.

Lectio j.

Cap. 7. c.

In illo tempore: Misérunt prin-
cipes & Pharisæi ministros, ut
apprehenderent Jesum. Et reliqua.
Homilia Sancti Augustini Episcopi.
Tractatu 31. in Joannem circa medium.

Quomodo apprehenderent ad-
huc nolentem? Quia ergo non
póterant apprehendere nolentem,
missi sunt ut audirent doc-
centem. Quid docentem? Dicit ergo
Jesús: Adhuc módicum tempus vo-
biscum sum. Quod modo vultis fá-
cere, facturi estis, sed non modo,
quia modò nolo. Quare adhuc modò
nolo? Quia adhuc módicum tem-
pus vobiscum sum, & tunc vado
ad eum qui me misit. Implere de-
beo dispensationem meam, & sic
pervenire ad passionem meam.

R. Deus meus erípe me de manu
peccatoris, & de manu contra legem
agentis, & iniqui: *Y.* Quoniam tu
es patientia mea. *Y.* Deus meus he
elongeris à me: Deus meus in auxi-
lium meum respice. Quoniam.

Lectio ij.

Queretis me, & non inveniētis,
& ubi sum ego vos non poteritis
venire. Hic jam resurrectionem
suam prædixit. Noluerunt enim ag-
noscere præsentem, & postea quæsi-
erunt, cum viderent in eum multitu-
dinem jam credentem. Magna enim
signa facta sunt etiam cum Dómino
resurrexit, & ascendit in cælum.
Tunc per discipulos facta sunt magna:
sed ille per illos, qui & per
seipsum. Ipse quippe illis dixerat: Si-
ne me nihil poteritis facere. Quando
claudus ille, qui sedebat ad portam,
ad vocem Petri surrexit, & suis pe-
dibus ambulavit, ita ut homines mi-

rarerentur, sic eos allocutus est Pe-
trus, quia non in sua potestate ista
fecit, sed in virtute illius, quem ip-
si occiderunt. Multi compuncti di-
xerunt: Quid faciemus?

R. Qui custodiébant animam meam,
consilium fecerunt in unum, dicen-
tes: Deus dereliquit eum. *Y.* Perse-
quimini, & comprehendite eum: quia
non est qui liberet eum: Deus
meus ne elongeris à me: Deus
meus in adiutorium meum inténde.
Y. Omnes inimici mei adversum me
cogitabant mala mihi: verbum iniquum
mandaverunt adversum me,
dicentes. Persequimini.

Lectio iij.

Viderunt enim se ingenti crimine
impietatis adstrictos, quando
illum occiderunt, quem venerari &
adorare debuérunt: & hoc putábant
esse inexpiable. Magnum enim fa-
cinus erat, cuius consideratio illos
faceret desperare: sed non debébat
desperare, pro quibus in cruce pen-
dens Dóminus est dignatus orare.
Dixerat enim: Pater ignosce illis,
quia nesciunt quid faciunt. Videbat
quosdam suos inter multos alienos:
illis jam petébat véniam, à quibus ad-
huc accipiebat injuriam. Non enim
attendebat quod ab ipsis moriebatur,
sed quia pro ipsis moriebatur.

R. Pacificè loquebantur mihi inimi-
ci mei: & in ira molesti erant mihi:
Y. Vidisti Dómine, ne sileas, ne discé-
das à me. *Y.* Ego autem cum mihi
molesti essent iniebam me cilicio,
& humiliábam in jejunió animam
meam. Vidisti. Pacificè.

Ad Laudes, Antiphona & Psal-
mus. Misérere mei Deus, cum re-
liquis de Psalterio. 47.

Capitulum.

Jerem. 11. d.

Venite, mittamus lignum in pa-
nem ejus, & eradamus eum
de terra viventium: & nomen ejus
non memorétur amplius.

Hym-

Hymn. Luxtra sex, ut supra 396.
Y. Eripe me de inimicis meis Deus
meus. *R.* Et ab insurgentibus in
me libera me.

Ad Benedictus, Antiphona.

In die magno festivitatis stabat Je-
sus, & clamabat, dicens: Si quis
sitiit, véniat ad me, & bibat.

Deinde dicuntur Preces, ut in
Psalterio. 49. Oratio.

Sanctifica, quæsumus Dómine,
nostra jejuniá: & cunctarum no-
bis indulgentiam propitius largire
culpárum. Per Dóminum.

Hodie dicitur Officium Defunc-
torum. clix.

Ad Primam, Antiphona.

Libera me Dómine, & pone me
iuxta te: & cuiusvis manus pugnet
contra me, Capitulum Pacem &
veritatem, cum reliquis. 28.

Ad Absolutionem Capituli, Lec-
tio brevis. Faciem meam non avér-
ti, ut in Psalterio. 30.

Ad Tertiam, Antiphona.

Judicasti Dómine causam animæ
meæ, defensor vitæ meæ, Dómine
Deus meus.

Capitulum.

Jerem. 17. b.

Dómine, omnes qui te derelin-
quunt, confundentur: rece-
dentes à te, in terra scribentur:
quoniam dereliquerunt venam aqua-
rum viventium Dóminum.

R. Erue a fræmea *Y.* Deus ani-
mam meam. Erue. *Y.* Et de manu
canis unicum meam. Deus. Erue.
Y. De ore leónis libera me Dómine.
R. Et à cornibus unicórnium humi-
liatim meam.

Deinde Preces, ut in Psalterio. 33.
Ad Sextam, Antiphona.

Pópule meus, quid feci tibi? aut
quid molestus fui? Responde mihi.

Capitulum.

Jerem. 17. c.

Confundantur, qui me perse-
quuntur, & non confundar
ego: paveant illi, & non paveam

ego: induc super eos diem afflictio-
nis, & dúplici contritione cóntere
eos, Dómine Deus noster.

R. Erue a fræmea *Y.* Libera me
Dómine. De ore. *Y.* Et à cornibus
unicórnium humilitatem meam. Li-
bera. De ore. *Y.* Ne perdas cum
impis Deus animam meam. *R.* Et
cum viris sanguinum vitam meam.
Deinde Preces, ut in Psalterio. 35.

Ad Nonam, Antiphona.

Numquid rédditur pro bono ma-
lum: quia fóderunt fóveam animæ
meæ?

Capitulum.

Jerem. 18. d.

Recordare quod steterim in cons-
pectu tuo, ut loquerer pro eis
bonum, & averterem indignationem
tuam ab eis.

R. Erue a fræmea *Y.* Deus
animam meam. Ne perdas. *Y.* Et
cum viris sanguinum vitam meam,
Deus animam meam. Ne perdas.
Y. Eripe me Dómine ab hómine ma-
lo. *R.* A viro iniquo erípe me.

Deinde Preces, ut in Psalterio. 38.

Ad Vesperas Antiphona & Psalmi
Feria secunda, ut in Psalterio. 103.

Capitulum.

Jerem. 11. d.

Tu autem Dómine Sabaoth, qui
iudicas iustè, & probas renes &
corda, videam ultionem tuam ex
eis: tibi enim revelavi causam
meam, Dómine Deus meus.

Hymnus. Vexilla Regis. 392.
Y. Eripeme Dómine ab hómine ma-
lo. *R.* A viro iniquo erípe me.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si quis sitiit, véniat ad me, & bibat
& de ventre ejus fluent aquæ vivæ,
dicit Dóminus.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psal-
terio. 105. Oratio.

DA, quæsumus Dómine, pópolo
tuo salutem mentis & corpo-
ris; ut bonis opéribus inharéndo,
tuá semper mereamur protectióne
defendi. Per Dóminum.

Ca-

Capitula prædicta dicuntur in feriali Officio usque ad festam iv. majoris Hebdomadæ; Antiphonæ vero per Horas usque ad Dominicam in Palmis.

FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 7.

In illo tempore: Ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebant in Judæam ambulare: quia quærebant eum Judæi interficere. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractat. 28. in Joannem.

In isto Evangelii capitulo, fratres, Dominus noster Jesus Christus secundum hominem se plurimum commendavit fidei nostræ. Etenim semper hoc egit dictis & factis suis, ut Deus crederetur & homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quaesivit: Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quaereret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verum hoc mementote, & de cordibus vestris nolite dimittere; sic esse Christum hominem factum, ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem.

Et Adjutor & susceptor meus es tu Domine: & in verbum tuum speravi. Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Declinate.

Lectio ij.

Quando ergo latuit ut homo, non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit detentus est, quando voluit occisus est. Sed quoniam futura erant membra ejus, id est, fideles ejus, qui non haberent illam potestatem, quam habebat ipse Deus noster:

quod latēbat, quod se, tanquam ne occideretur, occultabat; hoc indicabat facturū esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat.

Et Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutaris meæ. Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam. Libera me.

Lectio iij.

Non enim Christus in capite, & non in corpore: sed Christus totus in capite, & in corpore. Quod ergo membra ejus, ipse: quod autem ipse, non continuo membra ejus. Nam si non ipsi essent membra ejus, non diceret Saulo: Quid me persequeris? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est, fideles ejus, in terra persequerentur. Nolumus tamen dicere sanctos meos, servos meos, postremò honorabiles, fratres meos; sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

Et Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam: Redime me Domine. Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me. Redime. Ne perdas.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Nostra tibi, Domine, quaesumus, sint accepta jejunia: que nos & expiando, gratiā tuā dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendam, quia tempus meum nondum advenit.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Oratio.

Da nobis, quaesumus Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum; ut in diebus nostris & merito & numero populus tibi serviens augeatur. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Hodie dicuntur Psalmi Graduales. clxxij.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j.

In illo tempore: Facta sunt encenia in Jerosolymis: & hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini

Episcopi.

Tract. 48. in Joannem, circa initium.

Encenia festivitas erat dedicationis templi. Græcè enim cænon dicitur novum. Quandoquidemque novum aliquid fuerit dedicatum, encenia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum. Si quis novæ tunicæ induatur, enceniare dicitur. Illum enim diem, quo templum dedicatum est, Judæi sollemniter celebrabant: ipse dies festus agebatur, cum ea, quæ lecta sunt, locutus est Dominus.

Totā die contristatus ingrediēbar Domine: quoniam anima mea completa est illusionibus: Et vim faciebant qui quærebant animam meam. Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt: & qui juxta me erant, de longè steterunt. Et vim.

Lectio ij.

Hiems erat, & ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Circumdedērunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dice nobis palam. Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Hiems erat, & frigidus.

Pars Hymnalis.

erant: ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant. Si accedere est credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus.

Ne avertas faciem tuam à pueris tuo Domine: Quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio iij.

Riguerant diligētiā charitate, & ardēbant nocēdi cupiditate. Longè aberant, & ibi erant: non accedebant credendo, & premebant persequendo. Quærebant audire à Domino, Ego sum Christus: & fortissè de Christo secundum hominem sapiebant. Prædicaverunt enim Prophætæ Christum: sed divinitatem Christi & in Prophætis & in ipso Evangelio nec heretici intelligunt: quanto minus Judæi, quamdiu velamen est super cor eorum.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis frontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte? quia frater propinquus supplantavit me. Et omnis amicus fraudulenter incessit in me. Fiant viæ eorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos. Et omnis, Quis dabit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Oves meæ vocem meam audiunt: & ego Dominus agnosco eas.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Sanctificatio hoc jejūnio, Deus, tuorum corda fidelium miserator illustra: & quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantiū piū benignus audium. Per Dominum nostrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Multa bona opera operatus sum vobis: propter quod opus vultis me occidere?

Deinde dicuntur Preces. 105.

Cc

Oratio.

Oratio.

Adēsto supplicatiōibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperandā pietatis indulges, consuētę misericordię tribue benignus effectum. Per Dōminum.

FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio i.

Cap. 7. f.

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de Phariseis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei discubuit. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papę.

Homilia 33. in Evangelia.

Cogitanti mihi de Marię Magdalęne penitentiā, flere magis libet, quā aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus illa hujus peccatrici lacrymę ad exemplum penitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingrēssa est, non iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quę flere & inter epulas non erubescit.

R. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & inquit: Quoniam tu es patientia mea. **V.** Deus meus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice. Quoniam.

Lectio ii.

Hanc verō, quā Lucas peccatricem mulierem, Joānes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus de qua Marcus septem dæmonia ejectione fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia, nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quę universis vitis plena fuit.

R. Multiplicati sunt qui tribulant me, & dicunt: Non est salus illi in Deo ejus. **V.** Exurge Dōmine, saluum me fac, Deus meus. **V.** Nequādo dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Exurge.

Lectio iij.

Sed ecce quia turpitudinis suę maculas aspexit, lavanda autem fontem misericordię cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescēbat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur, fratres: Mariam venientem, an Dōminum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed melius trahentem dicam, & suscipientem: quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris.

R. Usquequō exultabit inimicus meus super me? **R.** Respice, & exaudi me Dōmine Deus meus. **V.** Qui tribulant me, exultabunt si motus fiero: ego autem in misericordiā tuā sperābo. Respice. Usquequō.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister dicit: Tempus meum propē est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

Deinde dicuntur Preces, 49.

Oratio.

Praesta, quęsumus omnipotens Deus: ut dignitas conditionis humanę per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimonie studio reformetur. Per Dōminum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

Deinde dicuntur Preces, 107.

Oratio.

Esto, quęsumus Dōmine, propitius plebi tuę: ut, quę tibi non placent, respuentes; tuorum potius replentur delectationibus mandatorum. Per Dōminum.

FE-

FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joānnem.

Lectio i.

Cap. 11. f.

In illo tempore: Collegērunt Pontifices & Pharisei concilium adversus Iesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini

Episcopi.

Tractatu 49. in Joānnem,

sub finem.

Pontifices & Pharisei sibi consulēbant: nec tamen dicebant, Credāmus. Plus enim perdidit hōmines cogitāntes quomodo nocērent ut perderent, quā quomodo sibi conspicerent ne perirent: & tamen timebant, & quasi consulēbant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romāni, & tollent nostrum locum & gentem. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.

R. Deus meus es tu, ne discēdas a me: Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet.

V. Tu autem Dōmine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam aspice. Quoniam.

Lectio ii.

Nam & Romāni post Dōmini passionem & glorificationem tulerunt eis & locum & gentem expugnando & transferendo: & illud eo sequitur quod alibi dictum est: Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriores. Hoc autem timebunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romānos civitatem Dei templumque defenderet: quoniam contra ipsum templum, & contra suas

paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

R. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meę Deus meus es tu, ne discēdas a me: Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. **V.** Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam. Quoniam.

Lectio iij.

Unus autem ex ipsis Cęsarphas, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur hōmo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit. Hic docēmur, etiam hōmines malos prophetię spiritu futura predicere: quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia Pontifex fuit, id est, summus sacerdos.

R. In proximo est tribulatio mea Dōmine, & non est qui adjuvet: ut fodiant manus meas & pedes meos: libera me de ore leonis. **V.** Ut enarrem nomen tuum fratris mei. **V.** Erue a frama Deus animam meam, & de manu canis unicum meam. Ut enarrem. In proximo.

Ad Benedictus, Antiphona. Appropinquabat autem dies festus Judæorum: & quærēbant principes sacerdotum quomodo Iesum interficerent; sed timebant plebem.

Deinde dicuntur Preces, 49.

Oratio.

Cordibus nostris, quęsumus Dōmine, gratiam tuam benignam infunde: ut peccata nostra castigatiōne voluntarię cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam supplicis deputemur æternis. Per Dōminum nostrum.

Hodię dicuntur Psalmi Penitentiales. clxxv.

Cc 2

Ad

Ad Magalicat, Antiphona.
Principes sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent: dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.
Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Concède, quæsumus omnipotens Deus; ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus securâ tibi mente serviamus. Per Dñm. **SABBATO.**

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 12. b

In illo tempore: Cogitaverunt principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini
Episcopi.

Tract. 50. in Joan. in fine.

Viso Lazaro resuscitato, quia tantum miraculum Domini tantâ evidentiâ diffamatum, tantâ manifestatione declaratum ut non possent vel occultare quod factum est, vel negare: quid invenerunt, videte. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent. O stulta cogitatio, & cæca savitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebâtis Domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuum, aliud occisus: ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & seipsum suscitavit occisum.

Totâ die contristatus ingrediebatur Domine: quoniam anima mea completa est illusionibus: Et vim faciebant qui quærebant animam meam. **Amici mei & proximi**

mei adversum me appropinquaverunt & steterunt: & qui juxta me erant, de longè steterunt. Et vim.

Lectio ij. Tract. 61.

In crastinum autem turba multa que venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmæ, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Rami palmæ laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est, Hosanna, sicut nonnulli dicunt qui Hebræam linguam novèrunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans: sicut sunt in lingua Latina quas interjectiones vocant, velut cum dolentes dicimus, heu; vel cum delectamur, vah dicimus.

Ne avertas faciem tuam à pœro tuo Domine: Quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende anime meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio iij.

Has ei laudes turba dicebat: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Quam crucem mentis invidentiâ principum Judæorum perpêti poterat, quando Regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino Regem esse Israël? Quid magnum fuit Regi seculorum, Regem fieri hominum? Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israël, quod mentes regat, quod in æternum cõsulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat.

B.

R. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte: quia frater propinquus supplantavit me: Et omnis amicus fraudulenter incessit in me. **V.** Fiant via eorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos. Et omnis. Quis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Proficiat, quæsumus Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu; ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuæ fit gratus, tanto donis potiùs abundet. Per Dñm.

Ad Vesperas, Capit. Phil. 2.

Fratres, Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

Hymnus.

Vexilla Regis prædeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Quâ vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone dicit, criminum
Ut nos lavare sordibus,
Manavit undâ & sanguine.

Impleta sunt, quæ concinit David fideli carmine, Dicendo nationibus: Regnavit à ligno Deus. Arbor decora, & fulgida, Ornata Regis purpurâ, Electa digno stipite Tam sancta membra tangere, Beata, cujus brachiis Præmium pependit sæculi,

Statæra facta corporis, & Tullitque prædam tartari.

O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Pis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

V. Eripe me Domine ab homine malo. **R.** A viro iniquo eripe me.

Ad Magalicat, Antiphona.

Pater juste, munduste non cognovisti: ego autem novi te, quia tu me misisti.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti: concede propitius; ut & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Dñm nostrum.

DOMINICA

In Palmis.

Ad Matutnum, Invitatorium.

Hodiè si vocem Domini audieritis,
Nolite obdurare corda vestra,
Psalmus. Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti Fraude factor condolens, Quando pomi noxialis In necem morsu ruit; Ipse lignum tunc notavit, Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis Ordo depoposcerat, Multififormis proditoris Ars ut artem falleret,

Cc 3

Et